

A R G O V I A.

à meridie & oriente Rhæti sunt, ab occasu Vrii & Suitii ; à septentrione castra Rhætica. Hujus regionis jurisdictio ac proventus tempore S. Fridolini donata fuit per Comitem quendam monasterio Seckingensi , sub Clodoveo I Francorum Rege , qui primus Francorum Regum Rhætiæ , Allemanniæ , & Helvetiæ imperavit. Succedentibus post sæculis in libertatem se vindicavit , & Helvetici fœderis pars facta fuit anno Domini 1252. Quia vero incolæ montium fauces & angustias incolunt , pauci seruntur agri , & rariora apparent vineta. Hortis tamen gaudent pomiferis & pratis ; piscinum proventum uberem sufficiunt lacus ; avium & feriarum carnium copiam montes & silvæ. Nobilis est natalibus doctissimorum virorum , Glarenni & Ægidii Tscudi.

Accensentur huic regioni Comitatus Hamburg , Baronatus Humberg , & Ringerberg.

Distribuitur hic pagus in partes xv. Cum Sutensibus alternatim praefectos mittunt , Vfencum , Visnac , & in castra Rhætica Wefom.

Est in toto hoc Argoviæ tractu locus ^{Lacus mirabilis.} mirabilis , haud longe à Lucerna , pene in summo montis jugo , loco solitario & paludososo. Eum silvæ arboresque , tanquam si terribilis esset , circumdant. Narrant ea , quæ in illum conjiciuntur , horrendas ciere tempestates , omniaque inundare ; quæ vero casu illabuntur , nihil adferre periculi. Locus est visu horrendus , aqua suo alveo inclusa , nec exitum habet , nec flu men in se recipit , nec nivibus , nec pluviis augetur ; ventis etiam minime agitatur. Neque fas est peregrinis illum locum adire , ne temere quid injiciant , unde vicina periclitetur regio.

Flumina sunt Limagus , Rus , & Arola , qui omnes in Rhenum exonerantur. ^{Flumina.}

